

1522 jungere decrevit. Neque vero Carolus Imperator, neque Franciscus Galliae Rex, ad quorum alterum Magnus Magister Ludovicum Andugum equitem, ad alterum plures ex Gallis equitibus miserat, armis inter se certantes, suppetias cadenti Rhodo attulere. Venetis, quibus recens cum Ottomano pax confirmata fuerat, nihil erat causae, cur potentissimum Regem laceferent, illiusque gentis impetum in suas ditiones excitarent, cum qua per quinquaginta ferme annos multa opum jactura, sanguinisque effusione dimicaverant; cum praesertim Christiani Principes, qui difficillimis temporibus illos adversus communes hostes juvare debuissent, vel imperii avidi, vel felicitatis invidi in summas calamitates conjecissent, ut inter potentissimos Reges constituti, hinc Europae Principum armis, inde Ottomanorum viribus premerentur. Sed neque in Rhodiensi bello parva a nostris adjumenta allata sunt; nam priusquam classis Turcica ad insulam applicuisset, ab Equitibus in Cretam missi fuerant, qui vina coemerent, sagittariorumque Cretensum manum, quorum illa regio maxime ferax est, compararent. Joannes quoque Antonius Bruladius Venetus, fama futuri belli per Aegaeum diffusa, commeatus cum delecto juvenum numero Rhodum importavit; atque ob egregie navatam operam a Rhodiensibus equestri dignitate est insignitus. Advenit praeterea e Creta Gabriel Martinengus Brixia civitate ortus, cujus mira in operibus bellicis fabricandis virtus tota illa obsidione enituit; praecipue vero in cuniculis eludendis, quos hostis insuperabili labore, vel ob aquae scaturigines, vel ob indomitae silicis occursum ad moenia ducere conabatur. Tandem Suleimani obstinata constantia, ingens militum, atque agrestium numerus, quos classe secum advexerat, virtutem equitum, turres, fossas, aggeres, omniaque impedimenta vicit. Nam mense decembri, die Natali Redemptoris humani generis Jesu Christi dicata, urbem his conditionibus est ingressus; nempe, ut Divorum templa inviolata manerent; singulis propriae religionis servandae facultas daretur; qui in Rhodo manerent, per quinquennium a tributis immunes essent; qui abire vellent, iis naves, & commeatus in Cretam darentur; tormenta bellica asportandi liberum jus esset. Ita infeliciter amissa Rhodus, pulchritudine, opulentia, opportunitate,

*Rhediorum
desidio.*